

gimine populi sub Turcis exponeret.⁶⁵ Qua occasione substravit eidem et quaedam quaesita, ex quorum solutione supra memoratus modus agendi S. Congregationis clare patet. Ad primum dubium: quid agendum cum presbyteris ex propriis dioecesis in Bosnam profugis, qui scandalum sunt populo respondit S. Congregatio, quod ab episcopis exturbari possint et debeant, neque absque eorum licentia ullum officium ecclesiasticum exercere possint. Secundum dubium ad modum provisionis parochiarum referebantur, ad quod S. Congregatio difficulti textu respondit: »... ad episcopos tamen pertinere provisionem parochialium, et non ad provinciale, nec definitiorum dictae provinciae pro tempore«.⁶⁶ — Textus primo intuitu appetat difficultis intellectu, quia non habemus conservatum a Provinciali propositum dubium. Agiturne hic solum de examine idoneitatis et approbatione praesentati, an de ipsa nominatione parochi et collatione parochiae eidem? Hoc ultimum difficile est admittere, quia esset contra prius emanata decreta de a. 1618 et 1624, necnon postea emananda a. 1644, 1658, ut suo loco videbimus. Neque ipsi episcopi in tali sensu hoc responsum intellexerunt.⁶⁷ Hoc ergo responso iterum

⁶⁵ Textus integer invenitur apud Jelenić, Spomenici, Starine XXXVI (1918) 109; Archivum Prop., Acta, 1634—1635, v. 10, f. 280v—282r, die 13 Julii.

⁶⁶ Integer textus sic sonat: »Ad 2um S. Congregatio respondit, ad episcopos tamen pertinere provisionem parochialium et non ad provinciale, nec definitiorum dictae provinciae pro tempore, ad conservandam tamen pacem et concordiam cum fratribus et qualitates fratrum parochiis praeficiendorum eorumque idoneitatem et sufficientiam ad curam animarum magis cognoscendas, posse episcopos consulere dominum provinciale et definitiorum, licet eorum sententiam sequi non teneantur«. Jelenić, o. c. 109. — Ex prima parte textus, qui est indeterminatus, posset argui de totali potestate proprio arbitrio providendi parochias; ex altera autem parte explicativa de sola certificatione idoneitatis agi videtur. Hanc interpretationem etiam circumstantiae suadent, nam provincialis neque dubitare potuit post decretum a. 1624 de suo jure nominandi et praesentandi religiosos ad parochias, sed ipse nunc denuo videtur reclamare ad vetera privilegia, ubi ad summum notificatio episcopo esse poterat dispositionis parochorum. Ideo et respondit S. Congregatio id non sufficere, cum ad episcopum pertineat provisio parochialium, neque illum cogi potest, ut praesentatos approbet.

⁶⁷ Anno 1658 episcopus bosnensis Maravić reclamans ad hoc decretum eandem ei vim tribuit ac illo ex anno 1645, in quo clare edicitur agi hic so-